



# Dissertatio juridica inauguralis de donationibus inter virum et uxorem

<https://hdl.handle.net/1874/340690>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E

Donationibus Inter Virum & Uxorem,

*Q U A M*

F A V E N T E D E O T E R O P T . M A X .

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inclyta Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissima*

*Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis.

*Eruditorum examini subjicit*

D A V I D B A U T E , M E D I O B . Z E L A N D .

*Ad diem 24. Juny horâ locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academix  
Typographi, clo Icc Lxxxvii.

*Amplissimo Consultissimo  
V I R O,*

**D. FRANCISCO  
B A U T E,**

Curiæ Provincialis ut & Feudalis Flandriæ Graphiario ,  
Reipub. Medioburgensis Elec-  
tori &c. Parenti meo suo in  
æternum filiali amore prose-  
quendo.

*Hanc Disputationem Inaugu-  
ralem ea , qua par est animi  
observantia consecrat.*

**DAVID BAUTE,**

Anct.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS;

D E

# Donationibus Inter Virum & Uxorem.

T H E S I S I.



Onatio, sicut Paulus, dicta est a dono  
quasi doni datio l. 35. §. 1. ff. de mort.  
caus. don. definitur quod sit liberalitas  
nullo jure cogente facta l. 29. ff. de don.  
Dividitur in propriam vel impropriam,  
inter cuius improprię donationis spe-  
cies nobis hic occurrit ea quae sit in-  
ter virum & uxorem quam pro viri-  
bus hoc loco enucleare animus est.

I I.

Priusquam autem rem ipsam aggredimur, pauca de ejus ori-  
gine & ratione præmittemus : de origine nobis constat esse

A 2

eam

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA.

eam vetustissimam : tradit enim Ulpianus fuisse moribus Romanis receptum , ne inter virum & uxorem donationes valerent *I. i. ff. b. t.* quod recte putamus referendum esse ad Institutæ & leges quæ ante duodecim tabulas fuerunt : eaque prohibitio perpetuo valuit ac strictissime servata fuit : id autem vel ex eo conjici potest , quod oratione Imperatoris Antonini opus fuerit ut hic juris rigor aliquantum mitigaretur *I. 32. §. 1. & 2. ff. b. t.*

#### I I I.

Rationes interdicti plurimæ traduntur quæ omnes summâ nituntur æquitate & justitia , quarum plurimæ habentur in oratione Antonini Augusti , quæ ita sonat ; *Majores nostri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt , amorem honestum solis animis astimantes , famam etiam conjunctorum consilentes , ne concordia prelio conciliari videretur , neve melior in paupertatem incederet , deterior ditor fieret.* Atque hoc modo eveniret ut venalicia essent matrimonia *I. 2. §. 1. ff. b. t.* quam rationem versibus elegantissime complexus est in epistola ad Vidum Fabium magnus Hospitalius ,

*Idcirco leges uxorem interque maritum  
Dona vetant , ne sit venalis gratia lecti ,  
Deteriorque bonis meliorem pellar avitis.*

Alias insuper rationes invenimus , ne mutuato scilicet amore invicem spoliarentur , donationibus non temperantes profusa erga se facilitate *I. i. ff. b. t.* nec esset eis studium liberos potius educandi *I. 2. ff. b. t.*

#### I V.

His itaque præmissis de personis ad quas hoc interdictum spectat

## INAUGURALIS.

spectat videamus: hæ sunt quæ justo matrimonio junctæ sunt  
*l. 3. §. 1. ff. b. t.* sub quo nomine sponsus vel sponsa haud con-  
tinetur *l. 5. l. 27. l. 65. l. 66. ff. b. t. l. 6. C. de donant. nupt.* Quæri-  
tur de sposo & sponsa de præsenti: verior videtur opinio quod  
cum hæ personæ Jure Civili se habeant ut conjuges illam pro-  
hibitionem Jure Civili ad istas spectare *l. 66. ff. b. t.* Si injustum  
fuerit matrimonium ipso jure quidem donatio valeat *l. 3. §. 1.*  
*ff. b. t.* sed rescinditur *l. 7. C. b. t.* Concubinæ tamen donari po-  
test *l. 3. §. 1. l. 58. ff. b. t. l. 31. ff. de don.* Excipiuntur focariæ  
militum, ne fictis adulatio[n]ibus spoliarentur *l. 2. C. b. t.*

## V.

Non tantum inter conjuges ipsos prohibite donationes di-  
rectæ, sed etiam inter socerum & generum vel nurum, vel  
contra indirectæ *l. 32. §. 16. ff. b. t.* frater quoque fratri uxori  
donare nequit *l. 3. §. 2.* quod ita intelligendum si uterque fra-  
ter in Patris sit potestate *l. 3. §. 5. ff. b. t.* uti nec frater sororis  
marito *l. 3. §. 6. ff. b. t.* de bonis autem castrensis frater do-  
nare potest, cum ea pleno jure ad eum pertineant *pr. I. quib.*  
*non est permisum.* Quod si pater filiosam concedat ut dona-  
ret, tamen matri donare non poterit, quia per filium pater do-  
nare intelligeretur: Quod si filius sit privignus uxori patris id  
est nevercæ donare non potest: si de peculio castrensi donet,  
dubium non est quin donatio valeat, cum plenissimum jus in  
eo filius habeat tanquam si pater familias esset *l. 1. §. 3. & l. 2.*  
*ad sen. cons. maced.* *l. 7. §. 6. ff. de don.* *l. 3. §. 4. ff. b. t.* aliter ob-  
tinet si vitricus & privignus sibi invicem dederint *l. 60. ff. b. t.*  
cum filius non acquirat matri atque ideo mater viro donasse in-  
telligi non potest: servus quoque sub hoc interdicto contine-  
tur, cui domini uxori vel dominæ marito dare vetitum *l. 3. §. 3.*  
*l. 38. ff. b. t.* quia hoc modo dominus vel domina per servum  
donare videretur.

## A 3

## VI. Ra-

## DISPUTATIO JURIDICA

### V I.

Rationes quare his personis jam methoratis donare interdicitur, diversae sunt, his enim si donare permitteretur via reperta esset qua vir uxori vel uxor viro contra legum interdicta donaret: efficit id ratio potestatis, qua istae personae sic conjunguntur viro vel uxori, ut per earum personarum donationem alter ditionis alter pauperior fieret si donatio concederetur; ubi autem hoc ius patriae potestatis non vertitur, donatio valet l. 3. §. 2. & 7. ff. b. t. potestatem hic consideramus ratione bonorum & successionis quae illius potestatis & suitatis jure nititur, unde libri vivo patre quodammodo domini existimantur §. 2. Inst. de her. qual. & diff. l. 11. ff. de lib. & postb. & statim post mortem parentis quasi continuatur dominium d. l. 11. Acquisitionis igitur ius & spes consideratur quae ex illo jure patriae potestatis pendet propter quod ius eveniret admissa inter eas personas donatione ut minor haereditas ad alterum ex conjugibus perveniret atque ita fieret pauperior.

### V I I.

Cæterum sola donatio inter conjuges est prohibita l. 7. §. 6. & 7. l. 5. §. 5. l. 58. ff. b. t. l. 16. §. ult. ff. de alim. & cibar. leg. nisi per alios contractus fraus fieret huic interdicto veluti per fictum emptionis, venditionis, societatis, aut alterius contractus onerosi titulum. l. 32. §. 24. & 25. l. 52. ff. b. t. l. 38. ff. de contrah. empt. & vend. unde si simplex inter conjuges donatio facta sit, ipso jure nulla est; nec transit rei donatæ dominium l. 3. §. 10. l. 18. & 20. ff. b. t. potestque donans eam exstantem vindicare l. 36. ff. b. t. nisi donatarius malit rei estimationem reddere praestita cautione de evictione simpli dicta l. 36. consummata condicere potest quatenus accipiens inde locupletior factus est l. 5. §. ult. l. 50. §. sin. ff. b. t. l. 8. C. b. t. l. 20. C. de jur. dot. an autem locupletior factus sit spectandum tempus litis conte  
state

statæ l. 7. ff. b. t. si dolo possidere desit, potestagi ad exhibendum l. 37. ff. b. t. quod si ex donata pecunia res alias comparaverit has ipsas utiliter potest vindicare donans, iisque contentus esse tenetur, si minoris valeant; sin pluris, non plus repetit quam donavit absque usuris l. 7. §. 3. & 4. l. 28. §. 3. & 4. l. 5. §. 1. l. 55. ff. b. t.

## VIII.

Quamvis autem rei donatæ proprietatem non acquirat donatarius, possessio tamen quæfacti est ad eum transfertur l. 1. §. 4. ff. de acq. vel am. poss. possessio vero juris non transit l. 46. ff. b. t. ideoque hic titulus possidendi est injustus quo respectu conjux pro possessore possidere dicitur l. 16. ff. de acq. vel amit. poss. nec potest usucapere l. 1. §. 3. ff. pro don. quatenus vero donans non sit pauperior nec donatarius locupletior, donatio valet ideoque donatarius ex re donata fructus industriales suos facit l. 45. ff. de usur. alia est ratio in fructibus naturalibus quos si conjux donaret omnino pauperior fieret. Si res aliena donata sit & verus dominus consenserit statim donatarius acquirit dominium; alioquin usucapio donatario procedit l. 25. ff. b. t. l. 3. ff. pro don.

## IX.

Valet tamen donatio multis casibus veluti si per mortem donantis fuerit confirmata, licet uno naufragio pereant l. 32. §. 14. ff. b. t. l. 8. l. 9. §. 3. de res dub. sed requiritur si quin gentos aureos excesserit donatio ut actis sit insinuata vel testamento confirmata, cæteroquin tantum usque ad quingentos aureos valet l. 25. C. b. t. Si autem donans revocaverit, cessat non tantum donatio sed omnes functus naturales revertuntur ad donantem, industriales vero apud donatarium permanent l. 45. ff. de usur. l. 15. §. 1. ff. b. t. l. 17. ff. b. t.

## DISPUTATIO JURIDICA

### X.

Si ipse donans in eadem voluntate decesserit, nec suam donationem retractaverit, hæres nullo modo repetere potest *l. 32. §. 2. ff. b. t.* nisi probaverit defunctum pænituisse *l. 32. §. 4. ff. b. t.* quo casu suprema voluntas sive pœnitentia spectanda est, quæ permanxit in ultimum vitæ exitum; nec refert sola & constans semper fuerit an sèpius variata *l. 32. §. 3. ff. b. t.* quæ pœnitentia diversis casibus præsumitur, veluti si res donata per legatum vel fideicommissum alteri sit relicta vel alteri donata vel vendita, quia sunt veri alienandi modi *l. 12. C. b. t.* Si rem donatam pignori dederit donans, pœnitentia præsumitur *l. 32. §. 5. b. t.* quod mutatum per *novell. 162. C. I. §. 1.* si matrimonium mala gratia dissolutum nec restauratum sit *l. 32. §. 10. ff. b. t.* aut ubi donans donatarium occidit *arg. l. 3. l. 9. ex de his que ut indignis hæc pœnitentia si non probari possit, & donatio quantitatem legitimam excedens actis fuerit insinuata, adeo firma est ut ad illud tempus firmitas referatur quo donatio facta est.* Sin vero actis non insinuata sed testamento tantum confirmata fuerit ex eo tempore vim habet ex quo eadem donatio confirmata est *l. 35. C. b. t.*

### X I.

Donatio hæc facta in conjugem & non revocata valet, sive rei traditione sive verbis absque traditione sit facta, quapropter qui hæres donanti existit, potest compelli post mortem ejus ad rem donatam tradendam ex *nov. 162. C. I. l. 33. ff. b. t.* nec refert naturaliter an civiliter mortuus sit, veluti deportatus quo casu hoc saltem prodest, ut si publicentur deportati bona, fiscus tamen nihil ex bonis conjugi donatis consequatur, quamvis donator post deportationem res donatas repetere possit *l. 13. §. 1. ff. b. t.* quod si donans vel donatarius servus factus sit alicujus privati, donatio perempta ac extincta est *l. 32. §. 6. ff. b. t.* secus obti-

I N A U G U R A L I S .

obtinet si servus pœnae factus sit donans *l. 24. C. b. t.* quod si donans ab hostibus captus , & in servitutem deductus sit , illa captivitas non perimit illam donationem factam conjugi , sed potius confirmat *l. ult. C. b. t.* captivitas enim illa perinde habenda per fictionem legis Corneliae ac si in civitate eo tempore quo capiebatur mortuus esset. Ita quoque obtinet si donator moriatur in civitate eo tempore quo uxor donataria in servitute apud hostes erat , si uxor jam mortuo marito redeat in civitatem , post liminio donatio convalescit *l. ult. C. b. t.* quid si uxor postliminio non revertatur ? dicendum est sine dubio donationem infirmari : si uterque conjux apud hostes decesserit , spectari debet tempus captivitatis quo videlicet in hostium potestatem incederunt , perinde est ac si eodem tempore uterque decessisset in civitate , & liber ; quod si alter apud hostes decessit , alter rediit , is videtur supervixisse qui rediit *l. 32. §. 14. ff. b. t.*

X I I.

Pluribus modis valet donatio inter virum & uxorem , veluti si divortii causa facta sit donatio *l. 11. §. ult. cum duab. leg. seqq. l. 60. §. 1. l. 61. & 62. ff. b. t.* ubi tamen duæ requiruntur conditiones , una est ut sub ipso divortii tempore fiat donatio , nam si multo ante , & ex cogitatione quandoque futuri divortii fiat , nullius momenti erit *l. 12. ff. b. t.* altera est ut divortium bona gratia fiat *dicta lege 60. & 61. ff. b. t.* Valet etiam mortis causa donatio . *l. 9. infin. l. 10. ff. b. t.* quia donationis eventus excrevit in hoc tempus , quo vir & uxor esse desinunt *l. 10. ff. b. t.* ita tamen ut morte secuta reducatur ad id tempus quo interposita fuit *l. 40. ff. de mort. caus. don.* quæ donatio etiam si sine ulla suspicione pœnae facta sit , tamen pœna capitali postea secuta evanescit *l. 7. ff. mort. caus. don.* valet quoque donatio exilii *l. 43. ff. b. t.* vel deportationis causâ facta *l. 13. §. ff. b. t.*

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

## X I I I.

Quæritur de mutuis sive reciprocis donationibus ; & puto, si uterque res donatas conservavit , donationem valere, quatenus est æqualis, si uterque consumsit, nihil alterum ab altero repetere posse, quod si alter conservavit, alter consumsit, dicendum esse donationem revocari posse, nec compensationem locumhabere l. 32. §. 9. ff. b. t. morte tamen donatoris confirmari potest, ejus inquam qui sibi donatum consumsit. Secus obtinet si divortium secutum sit, de quo casu leges 7. §. 2. l. 21. §. 1. ff. b. t. intelligendæ.

## X I V.

Donatio sepulturæ causa subsistit, quia hac ratione non sit pauperior donans nec locupletior donatarius l. 5. §. 8. ff. b. t. quod favore religionis quoque receptum, nam si uxor quæ nullam dotem habuit deceperit, neque hæredes ejus habeant neque pater solvendo sit, maritus in quantum facere potest funeraria conveniri potest, ne injuria ejus videretur quondam uxorem ejus infsepultam relinqu. l. 28. ff. de vel & sumpt. fun. valet etiam ea quæ ob incendium donatio facta : ut si vir uxori cuius ædes incendio consumtæ sunt ad refectionem earum pecuniam donaverit, valet donatio in quantum ædificii exstructio postulat l. 14. ff. b. t. cuius exceptionis rationem existimo duplicem, una est ne propter ruinas urbis aspectus deformetur, altera est miserationis & pietatis causa, quæ donatio cuiuscunque quantitatis fuerit, non opus habet insinuatione, sed donatarius potest cogi jurare in eum usum pecuniam donatam consumptam esse l. 36. §. 2. C. de donat.

## X V.

Ut religionis, sic libertatis maximus favor est ob quem a regulis

## I N A U G U R A L I S.

regulis juris s<sup>e</sup>piissime deceditur, ita ut manumissionis causa maritus servum mulieri constante matrimonio donare possit *l. 22. C. b. t. l. 7. in princip. & §. 8. & 9. l. 8. & 9. ff. b. t. l. 63. sol. matrim.* sed mulier cui servus manumittendi causa donatus est, ut post certum tempus manumittat antea manumittendo nihil agit: vel si ita donatus sit ut intra annum manumittatur, deinde non manumiserit, intra annum postea manumittendo nihil agit *l. 7. §. 9. ff. b. t.* si ante manumissionem maritus vel uxor moritur aut divortium intercesserit, donatio resolvitur *l. 8. ff. b. t.* Inesse enim conditio videtur ut constante matrimonio manumittatur.

## X V I.

Valent quoque aliis casibus, veluti inter Principem & Augustam *l. 26. C. b. t.* item ex quæ adipiscendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatæ sunt vel honoris causa donationes *l. 40. & 42. ff. b. t.* vel quæ ad processus ludorumve causu donatae sunt *l. 41. & 42. ff. b. t.* denique si maritus uxori munera natalitia dederit *l. 31. §. 8. ff. b. t.* quæ omnia casus comprehendunt singulares; quorum longiorem catalogum rationibus fulcire, ab instituto nostro alienum est; ne ultra modum excrescat disputatio.

## F I N I S.

A N-

00090276

## A N N E X A.

I.

*F*idejussor in majorem summam acceptus quam debitor principalis omnino non tenetur , ne quidem in concurrentem summam.

II.

*Filius familias non potest renunciare Senatus Consulto Macedoniano.*

III.

*Periculum rei venditæ & nondum traditæ pertinet ad emtorem.*

IV.

*Vendor quamvis rei tradendæ facultatem habeat , tamen non tenetur præcise rem tradere , sed liberatur præstanto id quod interest.*

